

DISSERTATIO - JURIDICA
CANONICO - CIVILIS

DE
ULTIMIS
VOLUNTATIBUS

IN GENERE

QUAM
IN ALMA ET PERVETUSTA
UNIVERSITATE MOGUNTINA

SUB PRÆSIDIO

Prænobilis Clarissimi ac Consultissimi Viri ac Domini

D. GEORGII FERDINANDI
HONCAMP,

J. U. D. in præfata universitate digestorum
Professoris Publici & Ordinarii Facultatis Juridicæ Af-
fessoris & p. t. Decani &c.

*Pro suprema in utroque Jure laurea & Privilegiis Doctoralibus ritè
Consequendis.*

PUBLICÆ DISQUISITIONI PROPOSUIT
HENRICUS ADOLPHUS SCHMITZ,

Coloniensis J. U. Candidatus.

IN COLLEGIO SCHENCKENBERGICO
ANNO 1717. Die 26 Mensis Julii.

MOGUNTIÆ Typis JOANNIS MAYERI, Typographi Aulico-Academici.



Io. Iur. Sartor sculpsit Coloni.



Reverendissimo perillustri & Amplissimo Viro ac Domino,

D. MICHAELI RUTGERS,

Abbatiae Tuitiensis sub Tit. B. M. V. & S. Heriberti Ordinis S. Benedicti congregationis Bursfeldensis Praelato Meritissimo Civitatis Unnensis Satrapiae Hammensis Archi-Diacono in Vehn Leichling Pilckumb Eschveiler Langel caeterisque locis annexis fundi & feudi Domino Patrono & Avunculo meo gratiosissimo.

Reverendissime & Amplissime Domine.

SI Plinio aut potius quotidiana rerum experientia credendum sit, videmus quidem solem post occubitum redire novum & Lunam semel extinctam renasci & ubi consenuit rejuvenescere, attamen ut hominem quidem nasci videmus, adolescere etiam imo crescere & consenescere, quo minus tamen videmus eum senem repubescere, eo minus hac vita semel defunctum renasci, homini etenim cuique Cursus unus est ab opifice datus, cujus finis est omnino Mors l. fin. cod. de Epis. & clei. sicuti itaque nudi egressi sumus de utero matris, sic revertemur & nihil auferemus nobiscum de bonis temporalibus, unde cum bona nostra aliis relinquere cogamur, receptum est

est omni Jure, ut secundum formam à legibus præscriptam de iis vi-
vi disponere possimus, si quidem hoc nulli quatenus quisque rerum sua-
rum perfectus est moderator & arbiter ademptum sit l. 1. cod. de
SStis, Eccl: de qua ab hac vita decedentium ultima dispositione qua-
tenus ea Jure scripto legibus item juris publici in Imperio nostro Ro-
mano Germanico usurpari & attendi solitis conformis esse debeat;
cum in præsentiarum mihi agere propositum sit ad te Reverendissi-
me & Amplissime Domine gressum flecto in frontispicio agalmatis
tui prælucentis Stella minimam lucis partem sceneraturus, qui ante-
quam in lucem prodiisses, lucem proprietariam habebas, ea propter ad-
mitte Patrone & Avuncule honorandissime has meas ex omni Jure
depromptas & rudi licet minerva conscriptas inauguales dissertatio-
nes easque in signum mei obsequiosissimi cultus Humillime dedicatas
vultu stellifluo aspice; Ter veneranda Triunitas, quæ te nobis dedit
ut esset monasterii Tuitiensis præsidium, subditorum solatium, & effi-
cax familia nostræ gloria, te diu diuque conservet & cuncta mala à
te potenter averruncet in terris, donec meritum immortalitatis co-
ronet trophaum.

Ita precor Humillimus fervus & nepos

Henricus Adolphus Schmitz.



CAPUT I.

De Testamento solenni in scriptis.

THESIS I.

Testamentum à Testatione mentis sic dictum *princ. inst. de Test. ord.* est voluntatis nostræ justa sententia de omni eo, quod quis post mortem suam fieri velit : Ejusque factio duplex est activa scilicet & passiva, quarum prima in potestate Testamentum faciendi, altera verò in potestate quidquam ex eo capiendi consistit; ad activam Testamenti factionem (uti de qua in Examinando Testamenti valore prima quæstio esse solet *L. 4. ff. qui Test. fac. poss.*) omnium primò statûs integritas requiritur fundaturque in triplici qualitate, libertate nimirum, civitate & familia, quare non Testatus servus, nec obses, nec captivus uti Hostium servus factus, ne tamen afflictis nova adderetur afflictio & sanguinem suum pro bono publico exponentes immerenter privilegiis Juris Exuerentur, *Justissime Imperator Leo in nov. 40.* Hoc emendavit & obsides ac captivos ad Testamenti factionem admisit.

II.

Quod monachus Testari non possit Jure nostro satis expeditum est, cum neque liberam voluntatem, neque bona propria habeat, nec actû nec potentia bona habere possit, dubitatur tantum, utrum Testamentum in Sæculo factum per ingressum in Religionem bonorum capacem vigore *auth. nisi Rogati cod. ad Scltum. Trebell. c. in presentia x. de probat.* Rumpatur? nobis placet cum communi doctorum schola statuere quod Tale Testamentum, non attenta præteritione monasterii, validum maneat *Zæc. ad tit. ffrum. de injust. Rupto & irrit. n. 9. 10. & seqq.*

A

III. Sub-

III.

Subsistente jam tali Testamento exerit se dubium pro & contra mirabiliter ventilatum, utrum ne hæres in tali Testamento institutus monacho continuó post emissam professionem uti per hanc secundum *L. deo nobis cod. de Episco. & cleri. cap. placuit 16. q. 1.* civiliter mundo demortuo succedere possit, an verò ad effectum plenæ successionis monachi mortem naturalem expectare debeat & quod hæres scriptus ad effectum plenæ successionis non solum mortem spiritualem ex emissionem professionis resultantem, sed naturalem quoque expectare debeat, & Emolumenta bonorum Testamento relictorum interim monasterio applicanda sint, ita quidem, ut monachus ingressus liberis in sæculo relictis ante mortem naturalem nequidem legitimam relinquere teneatur, sed poterit monasterium liberis ex fructibus bonorum ingressi alimenta præstare, aut verò certos fundos vel redditus pro alimentis defructuandos assignare, quia sicut hæreditas, ita & legitima nunquam ante mortem naturalem à parentibus extorqueri potest & hinc iniqua sunt statuta cogentia patrem solvere legitimam pro delicto filii.

IV.

De Clericis vulgò contenditur, utrum illi saltem de consuetudine, quam pontifex, cum in pluribus orbis partibus practicetur, vix ignorare potest, de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis testari possint? cui contentioni, si debile sentimentum nostrum adjicere deberemus, certè placeret nobis sententia eorum, qui cum divo Hyeronimo in Epistola quam scribit ad Nepotianum de vita Clericorum *causa 12. q. 2. can. 71.* dicunt & tenent quod talis Ecclesiæ bono & sacris canonibus directè repugnans consuetudo non valeat & Clerici de prædictis bonis Testari non possint, nisi expresso privilegio papali specialiter ad actum Testandi directò muniti sint.

V.

Quod filius familias etiam de peculio extraordinario Testari non possit, communis & probabilis. Ddum. est sententia evidenti ex *l. penult. cod. qui Testam. fac. poss.* Exemplo suffulta cum ibidem

dem Imperator filio familias testandi licentiam denegat etiam quoad illa quæ patri acquiri non possunt, uti sunt hæreditates dissentientibus patribus acquisitæ *l. fin. in princ. Cod. de bon. quæ lib.* quod autem talis hæreditas ad peculium Extraordinarium Referatur, nemo sanæ mentis dubitabit, nec quidquam Juvaret, si pater ad solum actum Testandi eum emancipare vellet, cum patria potestas sit indivisibilis & nullus in duplici statu contrario esse possit, quod verò filius familias patre consentiente de peculio ordinario, de extraordinario verò eo etiam dissentiente ad pias causas Testari possit, contra quoscumque, autoritate *cap. licet §. fin. de sepult. in 6to* alias circa intellectum intrinsecissimi propugnabimus.

VI.

Inter Testari prohibitos non est cæcus, observatis tamen solennitatibus juxta *l. 8. cod. qui Testam. fac. poss. & Recessum Imp. de anno 1512. sub Tit. von Testamenten §. aber zum anderen / daß der Testirer nicht allein die Nahmen des oder der Erben / so er sehet / benenne / sondern auch weß Würden Stands : oder Wesens dermassen ausdrücke x.*

VII.

Occasione modo citata *l. 8. in verbis : quam susceptam Testatori recitabit Tabularius* quæritur, utrum sicut Testatori cæco essentialiter Testamentum coram Testibus à Tabellione aut teste octavo prælegi debet, eodem modo Testatori litterarum imperito prælegi debeat & *Re. cum Carpz. decis. 149. p. 101.* quod sic, quare Testamentum in scædula consignatum & actis à Testatore cæco vel litterarum plane ignaro insinuatam haud subsistit, si in Judicio insuper ei non fuerit prælectum;

VIII.

Sicut de Jure veteri damnati ad mortem Testari non poterunt, sic & adhuc hodie eos testari non posse tenemus, nec leges & Jura digestorum ullibi in hoc puncto correctæ reperimus & licet *Carpz. in prax. suærimi, q. 135. n. 12. & seqq.* attestetur, praxin totius Germaniæ habere contrarium, nos tamen, nisi praxis & observantia specialiter

liter edoceatura prioribus non recedimus & eos adhuc hodie intesta-
biles esse Tenemus ;

IX.

Ultimò prohibentur Hæretici & usurarii manifesti, non præsti-
ta Cautione de in juste ablati Restituendis *cap. fin. de usur. in 6to* ita
quidem, ut nequidem, ad pias causas Testari valeant, cum in capa-
citas eorum ad Testandum non solum Jure civili, sed etiam Jure ca-
nonico probata sit. *cap. excommuni. §. credentes x. de Hæret.* qui autem
Jure canonico ad Testandum inhabilitatur, ille nequidem ad pias
causas Testari valet *Molin. de Just. & Jur. Tr. 1. disp. 95.* Excommunica-
tus autem cum nullibi prohibitus reperiatur, si de facto testetur, re-
ctè testasse dicetur ;

CAPUT II.

De solennitatibus Testamenti in scriptis.

THESIS I.

Testamentum secundo loco ad sui perfectionem requirit hæredis
institutionem *§. ante hered. inst. 34. de legat.* quæ quibuscunque
verbis non solum directis & solennibus veluti *hæres esto* sed etiam in-
flexis & precariis veluti *volo, mando, cupio, ut sit hæres*, fieri potest
l. 15. cod. de Testam. imò ad certam scædulam referri potest v. g. *is*
mibi hæres esto, quem in scædula, quam clausam apud amicum meum Titium
deposui, nominavi.

II.

Liberos habens, eos necessario hæredes scribere, vel exhære-
dare Tenetur *L. 30. ff. de lib. posth.* aliàs Testamentum quoad solam
hæredis institutionem, legatis & fidei commissis salvis, inutile erit
nov. 115. cap. 3. in fin. non aliter etiam sentimus de testamento, in quo
filius suus præteritus, cum *Carpz. p. 3. const. 9. defm. 3.* licet plurimi ta-
le Testamentum etiam quoad legata & fidei commissâ corruiere ve-
liant.

III. Ex

III.

Ex prædictis Resultat quæstio practica multum intricata, utrum nempe tale Testamentum ipso Jure & antequam à præterito impugnetur nullum sit, an verò prius per præteriti impugnationem annulletur & utrum præteritus in præjudicium institutorum illud Tacitè vel expressè ratificare possit? & R. quod tale Testamentum ipso Jure & antequam à præterito nullitatis arguatur, nullum sit, quodque præteritus in præjudicium institutorum illud nec tacitè nec expressè ad effectum alios excludendi ab oppositione nullitatis ratificare valeat, quare concludo, quod unus ex filiis, cui forte minimum relictum est, illud annullare & ad causam intestati legatis & fideicommissis salvis reducere possit, nec sufficet de Jure novissimo simplex institutio seu exhæredatio sed filius institui debet in portione legibus debita *nov. 18. cap. 1.* vulgò legitima **Nothgebühruß oder Pflichttheil** in tantum filiis debita, ut Justa de causa minui quidem, non verò in totum tolli possit, nisi in aliquo, quod vicem legitimæ obtineat iis provideatur *Gail. lib. 2. obs. 122. n. 12. cum citatis.*

IV.

Institutio liberorum primi gradus & jam modo natorum inlegitima, Testamentum non semper ab omni Ruptura salvat, sed posthumorum quoque nepotum & parentum quandoque Ratio haberi debet, ne alioquin vel filio post Testamentum nato, vel aliquo ex filiis decedente & nepotem Relinquente, vel his demum omnibus extinctis parentum aliquo supermanente Testamentum alias legitime conditum rumpatur §. 1. *instit. de exhæred. lib.* cautus itaque Testator posthumorum quoque nepotum & parentum mentionem facit, his incirca formalibus: filios meos jam natos & supernascituros hæredes instituo, si quis verò illorum me vivo, decederet & filios relinqueret, & illos nepotes mihi relictos hæredes scribo, Turbato autem mortalitatis ordine parentes aliosque ascendentes hæredes scribo;

V.

Circa causas exhæredationis quatuordecim, quas nobis refert *nov. 115.* anxie in foris dubitatur, utrum nullæ aliæ, quàm quæ *incit.*

nov. expressis verbis determinatæ licet similes aut etiam graviores exhæredationis ansam præbeant? *ꝛ.* licet enim tam negativa, quàm affirmativa valde probabiles sint, nobis tamen placet distinctio eorum, qui dicunt, quod si causæ tales verbis quidem *in cit. nov.* non expressæ sint, re ipsa tamen sint similes & forte graviores, æquè tamen ac expressæ officium paternum violantes & sic ejusdem cum expressis generis sint, etiam sub expressis necessariò contineri debeant, secus autem, si sint generis diverſi & directè officium paternum non lædant & violent *exempt. grat.* causa exhæredationis *in cit. nov.* expressa est, si nempe filius patrem carceri inclusum negligat, quid ergo si non solum eum in carcere negligat, sed eum, quod multò turpius, in carcerem violenter compegerit, hic enim impartiali dijudicandum relinquo, an non talis filius exhæredari possit, quamvis hæc causa exhæredationis expressis verbis *in cit. nov.* non sit apposita, plura quidem pro hac sententia adduci possent, sed quia ex uno fonte promanant, brevitatis studio in hoc uno subsistimus:

VI.

Hic non omittenda est famosa & intricata Juris quæstio, utrum nempe si filius suus sub conditione casuali vel mixta hæres institutus sit, testamentum in totum annulletur, an vero rejecto omni gravamine à legitima Testamentum adhuc subsistat? *ꝛ.* cum *Hahn ad Wesenb. ad tit. de condit. inst. n. 1. vers. filius autem* quod de Jure novissimo per *l. 30. l. 32. cod. de inoff. Testam.* filius suus nequidem sub conditione potestativa cum effectu institui possit, sed omnes conditiones pro non adjectis habeantur, in eo verò, quod ultra legitimam est, conditionem expectandam esse, quæ si non adimpleatur nocebit hæredi instituto usque ad legitimam testamentum vero subsistat *Berlich. p. 3. con. 14. n. 5. & seqq.*

VII.

Tertium Testamenti solennis requisitum est ipsa scriptura, modo à Testatore vel ejus mandato confecta *l. hac consultissima §. 1. cod. de testam.* si verò notarius circa formam instrumenti super condito Testamento confecti quid incuriâ forte neglexerit, tenor Testamenti

tamen ex depositione testium constare possit, testamentum auctoritate
L. 24. Cod. de testam. sustinebitur Strick. in caut. testam. cap. 15. §. 46.

VIII.

Ex requisitis ad testamenti valorem 4to loco pertinent testes numero septem puberes, ad hoc specialiter rogati, ut testamento subscribant & annulo signent, inidonei autem sunt servi *L. 32. ff. de R. J. impuberes L. 209 ff. de verb. sign. feminae §. 1. Inst. de testam.* qui integræ famæ non sunt, uti ob famosum crimen damnati *L. 18. §. 1. ff. qui testam. fac. poss.* & in genere, qui Judicio vel publico vel privato Criminis alicujus convicti *L. 14. & 15. ff. de testib. Auth. credentes cod. de Heret. l. 3. cod. de apost.*

Quæres, Utrum unus litterarum peritus pro alio litterarum imperito teste (supposito loco ubi plures litterarum periti reperibiles) testamento subscribere possit? R. Negativè.

CAPUT III.

De Testamento Nuncupativo.

THESIS I.

Nuncupativum dicitur Testamentum, quod sine necessitate scripturæ fit à testatore præsentibus testibus septem simul uno eodemque tempore collectis, coram quibus testator nuncupat hæredem, id est viva voce, quid de rebus suis fieri velit, declarat *L. 29. in fin Cod. de testam.* & in hoc testamento Imperator per *L. 26. cod. de testam.* omnem formalem testamentorum quoad subscriptionem & subsignationem observationem amputavit, qua solennitate subscriptionis sublata non est dubium, quia in hoc testamento (secus ac in solenni) Litterarum imperitus numerum septennarium complebit, modo linguæ, quæ elogium suum exponit Testator, peritus sit.

I I.

Ad majorem testamentorum nuncupativorum securitatem, ne fortè testibus demortuis, vel ob labilem memoriam, aut senium puerile superveniens ultima voluntas dubia reddatur, Maxim. Imp. provide

vidè introduxit, ut à Notario in præsentia testium ex ore testatoris ultima voluntas excipiat, & postea, antequam testes ab invicem discedant, in horum præsentia testatori prælegatur ac desuper solenne Instrumentum conficiatur *Ord. Not. de anno 1512. §. 5. tit. von Testamenten.* cautio veteribus incognita à Neothericis multum commendata.

I I I.

Si quis testamentum in scriptis fecerit, & quasdam solennitates omiserit v. g. testes non omnes subscripserunt &c. si testamentum hoc testator publicè coram testibus recitari fecerit, subjunxeritque clausulam codicillarem, seu omni meliori modo, si postea hic error deprehendatur, sustinebitur tamen, ut Testamentum nuncupativum *Sichard. ad L. hac consultissima §. per nuncupationem cod. de testam. n. 2.*

Quæres, Utrum Legatarius in nuncupativo testamento testis esse possit. R. Affirmativè cum *Zæf. ad tit. qui testam. fac. poss. n. 37. Carpz. p. 3. const. 3. defm. 6.*

CAPUT IV.

De Testamento Militari.

THESIS I.

Est autem Testamentum militare, quod miles, qui in numerum relatus & Sacramento militari obstrictus, dum in expeditione est, facit omittis vel omnibus vel aliquibus testamentorum solennitatibus; nam si miles in ipso hostium confictu constitutus testamentum fecerit, nullæ omninò requiruntur solennitates, si verò in Castris degat duos ad minimum testes adhibere tenetur prout dicit *R. J. de anno 1512. tit. von Testamenten. §. Und sollen versu. aber von Rittern / die zu Feld seynd / und doch nicht im Streit wehren / da wird solche Anzahl der Zeugen nachgelassen / bis auff zween / aber die Ritter / so in Übung des Streits seynd / mögen ihr Testament machen ohne alle Solennität oder Form / wie sie wollen / 2c.* Unde patet, quod miles extra militiam constitutus testari debeat secundum Juris communis dispositionem. *L. 15. cod. de testam milit.*

II. Mi-

I. I.

Milites à misera Romanorum Jurium observantia quoad testamentorum solennia in variis immunes & Privilegiati sunt quoad personam, quod ex delicto militari extra fidem ruptam ad mortem condemnati Jure militari testentur *L. 11. ff. h. t.* quodque testamentorum intra annum post honestam missionem validum permaneat, sed an hoc privilegium, aut potius Jus singulare & militibus valdè nocivum appellari possit impartiali dijudicandum relinquimus, cum tamen quoad paganos expeditum sit, quod testamentum semel ritè confectum solo tractu temporis nunquam rumpatur, ideo testamentum pagani peste tempore coram duobus testibus conditum, cessante peste, per plures annos duraret.

III.

Ex Privilegio militari miles quemvis ceteroquin ex testamento quid capere prohibitum uti deportatum &c. Hæredem scribere eique legata relinquere potest. *L. 13. §. & deportati ff. & l. 5. cod. de testam. milit.* nisi tales insuper ex testamento militis quid capere posse specialiter prohibeantur *cit. l. 5. cod. de testam. milit.*

IV.

Tandem Jure singulari miles cum duobus, aut pluribus testamentis sibi directè non contrariis decedere potest *L. 19. & 36. ff. de testam. milit.* imò si sibi essent contraria, poterit miles addendo clausulam fideicommissariam posteriori Hæredi committere, ut etiam priores tabulæ valeant, quo casu per *L. 19. ff. de testam. milit.* superius per inferius licet contrarium non rumpetur, sed ex directa fit præcaria hæredis institutio, adeoque non ipso Jure, sed magis per fideicommissum valebit.

CAPUT V.

De Testamento Parentum inter liberos.

THESIS I.

AD testamenta privilegiata suo modo refertur testamentum parentum inter liberos, cujus multa & magna in Jure sunt privilegia, prout

prout videre est in *L. 26. cod. fam. Ercif. l. 21. cod. de Testam. nov. 18. cap. 7. nov. 107. per tot.* primario propter reverentiam paternam, quam liberi parentibus debent, concessa, ex eo, quod lex erubuerit supponere parentes solennitatibus Juris respectu liberorum; generaliter autem hic notandum, quod hic inter patrem & matrem non distinguamus, imò & suo modo ascendentes comprehendamus.

I I.

Duo verò sunt modi privilegiati paternæ substantiæ inter liberos dividendæ, quorū primus est, ut si quis literarum gnarus inter liberos suos testari voluerit, primo tempus conditi sui elogii ultimi subscriptione declarat. Hodie per subscriptionem anni Christi mensis & diei & anni Regentis Imperatoris & indictionis fieri solitum, ex ratione, ut si duo fortè ejusmodi testamenta reperirentur, constare possit, quodnam sit recentius, deinde liberorum nomina propria manu adjungat, ad hoc uncias, in quibus hæredes eos instituat per integras litteras & dictiones declarat, & si præterea rerum suarum quasdam distributiones facere voluerit, & harum inscribat significationes, ut ejus litteris omnia declarata nullam ulterius contentionem filiis relinquat *Nov. 107. cap. 1. Carpz. p. 3. constit. 4. defn. 17. n. 8* Caveat autem testator pater, ne personam extraneam liberorum institutioni admisceat, nam quoad hanc pro nulla ea voluntas est *L. fin. Cod. fam. Erc. l. 21. cod. de testam.* nam si persona extranea simul hæres esset instituta, non foret testamentum inter solos liberos, quod tamen leges requirunt, cum non eodem frui debeant privilegio extranei, quo liberi, quorum gratia talis privilegiatus testandi modus introductus est, insuperque in *l. 21. §. 1. Cod. de testam.* liberis personæ extraneæ expressè opponuntur, si tamen extraneis (pro quibus capio omnes, qui non sunt ex numero liberorum, etiam vinculo arctissimo ut uxor & maritus conjunctos) quidquam legato relinquere testator velit, id coram testibus non paucioribus, quam quinque exprimat *l. ult. §. fin. cod. de codic.* quo facto dispositio paterna de jure sustinetur & legata extraneis relicta exsolvenda sunt.

I I I.

Supereff autem alia species disponendi inter liberos, quæ Jure divisionis subsistit, & in ea non Jure testamenti, & ex testamento, uti ex

nov. 107. sed potius ab intestato patri succeditur, ex eaque liberi hæ-
reditatem paternam non actione ex testamento, sed Judicio familiae
erciscundæ consequuntur id, quod à patre ipsis assignatum, de qua di-
visione *in L. fin. cod. fam. Ercif. Carpz. p. 3. const. 4. def. 22. n. 4.* quan-
tum jam ad formam talis divisionis attinet, sciendum quod Justinia-
nus *in nov. 18. cap. 7.* voluit, ut pater ita bona ab intestato distribuens
vel ipse instrumento divisionis subscribat, aut liberos omnes ad sub-
scribendum præparet, *auth. si modo cod. fam. ercif.* quare si reperiatur
scœdula, quæ à patre nec scripta, nec subscripta sit, dum tamen à li-
beris sit subscripta, adhuc valet & tenet, non quidem ut testamentum
vel codicillus, sed ut contractus ex conventionem liberorum validus
Jul. Clar. in §. Testamentum q. 14. n. 16.

V.

Si pater inter liberos testari volens omiserit solennitatem tempo-
ris *contra dict. auth. quod sine cod. de testam.* talis dispositio non valebit
neque ut testamentum, neque ut codicillus, quia tam in testamentis,
quam in codicillis solennitas temporis strictè observanda est, valebit
tamen ut divisio paterna, si modo vel testator vel liberi eandem sub-
scripserint *auth. si modo cod. fam. Ercif.*

VI.

Quin pater inter liberos disponens iis inæquales portiones assi-
gnare possit, nostro Jure indubium est. *Carpz. p. 3. const. 4. def. 21. n. 6.*
item def. 22. n. 9. cavere tamen debet, ne talis divisio fiat in offi-
ciosa, hoc est, ne legitimam lædat *Gail. lib. 2. obs. 119.* Hinc quæritur,
utrum pater præterito primogenito possit secundo genitum præferre,
eique Jus primogenituræ assignare? quod prima fronte quidem vide-
ri posset, cum pateat ex sacris litteris *Lib. 3. Regum cap. 1. & 2.* quod
David præterito Adonia Salomonem regno præfecit, hortante Pro-
pheta Nathan ipsoque Deo approbante *item 2. Paralip. 11. ad finem* ubi
Roboam Salomonis filius Abiam minimum cæteris præposuit, dein-
de Rex ex lege Justitiæ tenetur optimo, quo potest, modo providere
subditis de bono Rectore, ergo si primogenitus sit minus capax ad
gerendos fasces, secundo genitum magis capacem successorem suum

facere debet, id quod videmus in multis regnis ita practicari ;
 Veruntamen nobis placet, rem distinctione componere, dicen-
 do, vel enim nulla lex, vel statutum, vel familiae pactum primogenitis
 Jus succedendi tribuit, vel lege lata, vel statuto, vel ex pactis familia-
 rum illis Jus primogeniturae competit ; in primo casu decidunt pro-
 positae rationes dubitandi, & liberum est patri, primogenito praeteri-
 to, secundo, tertio, vel quarto genitum regni successorem declarare ;
 attendendum tamen est, ne (ut communiter fieri solet) ex hujusmodi
 primogeniti postpositione majora mala & damna reipublicae eveniant,
 id, quod non raro contingat, liquet ex bello diuturno in Gallia gesto,
 quando nempe Caroli VI. Galliarum Regis filius unicus à patre suo
 Regni proceribus indignus judicatus, ejusque in locum Cathari-
 na dicti Caroli VI. filia Henrici V. Anglorum Regis Coniuge substituta,
 ad mucronem gladii sui solenniter provocavit, hancque provocatio-
 nem Authore Deo & Duce puella Lotharingia Joanne D' ARC felici
 exercens successu Imperii habenas Anglorum ex manibus extorsit
 & Galliis omnibus [solo Caleti portu excepto] eosdem deturbavit.

In secundo vero casu subdistinguitur, hoc modo, vel primogeni-
 tus est simpliciter incapax, ut mente captus, fatuus, seu alterius famo-
 si & notabilis defectus, & tunc sine dubio secundo genitus praefici de-
 bet *Aurea Bulla cap. 25. §. decernimus 2.* si vero sit tantum minus ca-
 pax, debet quidem praefici Imperio ea tamen ratione, ut pater de ho-
 minibus aptis, qui defectum istum suppleant, provideat, ex ratione,
 quia primogenitus hoc in casu habet Jus quaesitum, quod nequidem
 ex plenitudine potestatis, nisi causae adsint gravissimae, illi auferri po-
 test *Buxdorff. ad aur. Bull. concl. 85. lit. B.*

CAPUT VI.

De Testamento Principi vel Judici

oblato.

THESIS I.

Testamentum omnium sollemnissimum est, quod & Theodosia-
 num appellatur, quod bona & integra fide ab eo, qui activam te-
 sta-

stamenti factionem habet, precibus principi oblati inferitur, vel per supplicationem ipsius auribus, seu audientiae intimatur, in quo supplicans successorem sibi declarat, aliaque, quae post mortem suam fieri vult, disponit *L. 19. cod. de testam.* cum nulla omnino fraus sit metuenda, eo quod princeps Justitiae plenus praesumatur, & quae coram principe fit institutio, toto Jure teste fieri dicatur, quare quoad essentiam & perfectionem testamenti sola principis praesentia sufficiet, ejusque solius testimonio stabitur *Salicet. ad l. 19. cod. de testam. n. 9.*

II.

Licet autem & liberum est ei, qui preces obtulit, semper suam voluntatem mutare, cum hoc ipsum, quod per supplicationem Principis auribus intimatur, non aliter pro firmo habeatur, quam si ultimum comprobetur; nec obstat, quod disponens in disponendo Principis consensu usus fuerit, ut & in revocando eundem intervenire debere videri posset *Arg. L. nil tam naturale ff. de reg. Jur.* cum haec regula in ultimis voluntatibus non procedat; cumque moris Imperatorii non sit, Juri alicujus praesudicare.

III.

Quoad modum testamentum Principi offerendi observandum est, quod si testator ultimam suam voluntatem Principi offerat, nulla alia solennitates neque testium praesentia requiratur, quos enim testes tale Testamentum ulterius desideraret, quod testem habet ipsum principem ejusque scrinia, poteritque Testator Testamentum suum in scripturam redactum ad inferendum principis scrinio per libellum supplicem offerre, non tamen praesise requiritur, ut simul libellus supplex offeratur, cum Testator Testamentum in scriptis oretenus his in circa formalibus (*daß er unterthänigst bitte / Ihro Kaysersliche Majestät / oder Durchlaucht etc. wolle seinen hierinn verfaßten letzten Willen gnädigst auff und annehmen / und darüber nach seinem Todes Fall halten*) Imperatori, vel principi offerre possit, quod autem coram principe etiam nuncupative testari possit, non dubitamus, modo talicasu ad minimum duo secretarii aulici vel mini-

ministri adhibeantur; cum hoc casu non solum de solennitatibus, sed veritate voluntatis quaestio foret;

IV.

Cui autem copia adeundi principem non datur & nihilominus solennitates ordinarias evitare cupit, illi satis cautum est, si iudici Testamentum obtulerit, cum petitione, ut illud actis judicialibus inferat, sed titrum hoc nullis prorsus adhibitis testibus, & utrum soli iudici, remotis assessoribus, senatoribus & decurionibus facta insinuatio subsistat, non unanimiter omnes conveniunt, cum tamen superfluum sit Testimonium privatum, ubi publica monumenta sufficiunt *l. 31. cod. de donat. Myns. cent. 6ta obs 29 n. 5. insuperque l. 19 cod. de Testam.* nil nisi voluntatis insinuationem, ejusque actis infectionem nulla habita mentione aliarum personarum judicialium reposcit; hinc concludimus, quoad utrumque, quod tale Testamentum nec testes requirat, nec in insinuatione aliarum personarum judicialium praesentiam reposcat *Carpz. p. 3. const. 3. defin. 15.*

V.

In summa itaque tria maximè sunt attendenda in confectioe hujusmodi Testamenti, (Imo.) autoritas iudicis etiam cujuscunque, modo jurisdictionem habeat *l. 19. cod. de Testam.* licet inferiorem, adeo, ut superior coram inferiore (uti nobilis coram constituto à se iudicio scultetico *sitt seinem besetzten Dorff-Beicht*) Testamentum suum insinuare possit (Illo) praesentia Testatoris (Illic) ipsa dispositio, ut necessario instituendos haeredes instituat, vel exhæredandos debito modo exhæredet, aliaque non omittat, per quæ Testamentum querelari, vel alio modo irritum fieri posset.

VI.

Testamentum infirmi, vel alterius in alio quàm iudicii loco constituti domi vocatis ad se iudice unà cum scabinis factum nullis ulterius adhibitis solennitatibus validum erit, modo iudex unà cum scabinis legitimè imploratus ad ædes aegroti, vel impediti autoritate iudicia-

diciali venerit, quia ibi acta iudicii esse intelliguntur, ubi fit aliquid autoritate iudiciali, loco non attento, l. 5. ff. de manum. vind. Wesenb. in paratit. ff. rum. qui Testam. fac. poss.

VII.

Circa prædicta dubium remansit, utrum ne iudex planè extraneus & Testatori respectu jurisdictionis omninò in competens cum scabinis sui iudicii adhiberi possit? in hoc quidem omnes conveniunt, quod iudex incompetens in eodem loco, ubi Testator commoratur, degens adhiberi possit v. g. studiosus sub jurisdictione academica constitutus poterit rectè adhibere iudicem civium, illiusque iudicii scabinos & e contra civis iudicium academicum, sed an v. g. officialis, vel minister, vel quicumque alius in pago vel villa commorans alterius pagi villæ vel vicinæ alicujus civitatis iudicem & scabinos adhibere possit dubitatum fuit, cum iudex extra Territorium constitutus privati personam induat, nobis tamen placet sententia affirmativa Carpz. decis. 293. n. 10. & seqq.

CAPUT VII.

De Testamento conjugum Reciproco.

THESIS I.

Quin hodie conjux conjugitam institutionis, quàm Legati Titulo quidquam relinquere possit, extra controversiam est, pro ut per multa Jura & autoritates deducit Peck. de Testam. conj. lib. 1. cap. 1. n. 3. qua in parte illud frequentissimum est genus Testamenti, quod DDres reciprocum vocant, in quo conjuges se invicem hæredes scribunt, vel purè, quo casu bona pleno jure post mortem alterius conjugis ad superstitem transeunt, vel sub conditione, ut nempe post utriusque mortem bona ad hæredes ab utraque parte pertineant, & hoc Jure fideicommissi, quia superstes conjux rogatus censetur, legitimis hæredibus ab intestato restituere hæreditatem & quamvis verba deficiant,

ciant, ex conjectura tamen ultimæ voluntatis verba suppleri possunt, & hoc Testamentum inter conjuges subsistere ambigendum non est, cum & donatio omnium Bonorum mortis causâ inter conjuges reciproca valeat *l. 9. §. 2. l. 10. & 11. ff. de donat. int. vir. & ux. l. 23. ff. de m. c. donat. Wesenb. in paratit. ff. de m. cau. donat. n. 4to Schneidvv. ad §. 1. inst. de donat. n. 61.* quia in hoc tempus excurrit donationis eventus, quo vir & uxor esse desinunt, rei enim dominium manet apud donantem, neque prius donatio tenet, quàm mors advenerit.

I I.

Non tantum autem hæc Testamenta reciproca ab utroque conjugue in separatis tabulis scripta valent, verum etiam, si in eadem charta, solennibus non repetitis, scripta fuerint, subsistunt *Peck. lib. 1. cap. 19. n. 2.* sufficiunt namque iidem testes utrique Testamento eodem loco & tempore adhibiti, ne quod potest fieri per pauciora per plura expediatur, & quamvis una tantum sit sollemnitas: illa tamen quodlibet Testamentum per se respicit & sic utrumque Testamentum per se habet suam sollemnitatem, quamvis non pro uno, sed pro duobus Testamentis habendum sit, cum nemo alteri testari possit, siquidem duæ sunt hæreditates, neque enim duarum personarum, aut una hæreditas, aut unum Testamentum esse potest, nisi cum tractatur de substitutione pupillari *Carpz. p. 3. const. 7. de fin. 22. n. 3. & 4.* attamen *Gaii lib. 2. obs. 117. n. 2.* cautela non contemnenda est, quod nempe notarius & testes disertè dicant, se subscribere & subsignare tale Testamentum utriusque Testatoris nomine.

III.

Pacta tamen inter virum & uxorem inita, ut nempe superstes alteri succedat, non valent de jure civili, quia speciale legis beneficium est, ut quis de patrimonio suo disponere possit in id Tempus, quo non amplius illius est dominus *l. 62. ff. de hered. instit.* quod tamen lex non cuilibet dispositioni indulsit, sed tantum, si certa forma nempe Testamenti fieret, pro ut gravibus rationibus deducit sæpe cit. *Peck. lib. 1. cap. 8.* sed hoc ita de jure communi, moribus verò & de consuetudine gene-

generali conventiones de futura successione, quæ in pactis dotalibus sunt, ratae sunt *Vvesenb. ad tit. ff. de pact. dot. n. 4to Myns. cent. 2. obs. 33. n. 10. Gail. lib. 2. obs. 126. n. 3. & ab ipsis relati;*

IV.

Pacta dotalia inter conjuges de futura successione confecta de consuetudine valida, an ab uno invito altero revocari possint, anxie in foris pro & contra ventilatur, pro cujus dubii resolutione placet nobis distinguere hoc modo: vel pacta dotalia in vim ultimarum voluntatum concepta sunt, quæ communiter vocantur pacta mixta & judicantur secundum naturam ultimarum voluntatum v. g. *es soll auff entstehenden Todes-Fall der überlebende Ehe-Gatte alle Güter NB, ererben / oder in die ganze massam succediren /* quo casu pacta dotalia tanquam in casum mortis concepta quandocumque per Testamentum, aut aliam ultimam voluntatem revocari poterunt *Hahn. ad Vvesenb. tit. de pact. n. 4to.* vel pacta dotalia simpliciter concepta sunt v. g. *Es soll auff entstehenden Todes-Fall der überlebende Ehe-Gatte alle Güter NB. behalten und haben /* quo casu pacta erunt simplicia & jam tum perfecta sola illorum Executione in casum mortis suspena & valebunt in vim contractus irrevocabiliter, cum nemini contra contractum, aut pactum suum venire liceat *l. 13. ff. comm. prad. l. 5. cod. de act. & oblig. & hic omnia, quæ de hodierna pactorum observantia tractari solent, applicari possunt.*

V.

Testamentum conjugum reciprocum altero invito quandocumque mutari potest, licet enim uxor & maritus simul testati sint, & unus credidit alterum suam voluntatem non revocaturum, scire tamen debuisset, voluntatem hominis ambulatoriam esse usque ad ultimum vitæ spiritum, nec posse quem sibi legem dicere in testamento, à qua postea recedere non liceat *L. 22. ff. de legat. 3.* quare in confectioe ejusmodi testamenti reciproci cautus testator bene attendat, ut pactum simplex, seu stipulatio mutua intercedat, & in iis à quibuscunque verbis speciem ultimæ voluntatis in minimo etiam sapientibus

bus abstineat, cæteroquin quandoque Juvenis ducens vetulam sub spe pactorum irrevocabiliū miserè impinget & defuncta vetula [prout sæpius emergit] inanis discedet.

VI.

Cùm autem valdè durum sit, superstitem conjugem Lege permittente contra fidem in prima dispositione datam venire posse, varia ad firmandum tale testamentum DD. exquisiverunt media, quorum minimum non est, quod suggerit nobis *Simon v. Leuven in cens. for. cap. 11. lib. 3. n. 7.* dum suadet, ut conjuges alter de alterius bonis, aut ambo de utriusque bonis reciprocè per consolidationem, per substitutionem, fideicommissum, aut alio modo disponant, quo casu putat Author citatus, quod alter hæreditate adita, aut relictæ commo accepto, dispositionem illam nequidem pro parte sua mutare possit, quoniam eo casu unica tantum duorum reputatur dispositio de unico & communi patrimonio per mutuam confusionem consolidato, cum quo convenit *Carpz. p. 3. const. 2. defn. 13. n. 7.* Hæc tamen cautela Authoris citati secundum nostrum iudicium nunquam testamentum irrevocabile reddet, cùm concessio alterutrius Testamenti faciendi de bonis communibus non contineat revocationem mutationis, sed intelligenda est secundum naturam testamenti & salvo Jure per leges competente concedens testamenti pactionem omnia peregisse præsumitur.

VII.

Validum autem & immutabile erit testamentum conjugum reciprocum, si fuerit respectivum, hoc est unus alterum instituat sub ea conditione, ut omnia ea bona, quæ post mortem ultimo morientis ex mutua hæreditate **aus ihrer beyder gemeiner Verlassenschaft** supererunt, relinquuntur certæ personæ v. g. Cornelio aut Antonio, adjecta conditione, ne post mortem alterutrius quisquis eorum suam voluntatem mutandi potestatem habeat *Peck. lib. 1. cap. 44. n. 6.* secundò, si testantes ultimam suam voluntatem actis insinuari curent ibique sibi invicem stipulentur, omnia in hisce voluntatibus conten-

testa irrevocabiler & inconvulsè sese velle conservare, denique si dispositio sit jurata, licet plurimi dissentiant & leges civiles valde obstant, quia tamen de Jure Canonico *in cap. quamvis de pact. in bro.* tum in conscientia ille, qui juravit, de intemerata conservanda ultima sua voluntate obstrictus est, abstinere ab omni mutatione, nisi velit fieri perjurus, hinc & nos Juramentum servandum esse tenemus, præsertim in hoc testamenti genere, quod revera per appositionem Juramenti naturam pactorum simplicium moribus irrevocabilium induit.

CAPUT VIII.

De Testamentis in terris Ecclesiæ factis.

THESIS I.

DE Jure Canonico non tanta in ordinandis testamentis solennitas, quàm de Jure Civili, requiritur, sed sufficit, si persona de reliquo testamenti factionis sit capax, duorum solummodo, aut trium testium præsentia coram Parocho *cap. cumesses 10. x. de testam.* ubi generaliter remittitur necessitas adhibendi in testamento septem vel quinque testes Jure Romano requisitos, cum in ore duorum, aut trium stet omne verbum, ita ut testes hoc jure canonico magis probationis, quàm solennitatis causa adhibeantur, nec est, quod quis putet, hoc saltem in piæ causæ favorem jure canonico statutum esse, nam ad omne Testamentum etiam ad Causas profanas pertinet *Jul. Clar. lib. 3. sent. §. Testamentum qs. 57. n. 1.*

II.

Vera tamen est sententia eorum, qui dicunt quod *cit. cap. cumesses x. de Testam.* solum obtineat in Terris Ecclesiæ, non verò in Terris imperii, eò quod in his Jus civile servandum sit, nisi ubi specialiter dispositio Juris canonici quòad hunc punctum recepta cum *cit. cap. directum* sit ad Episcopum Hostiensem, qui & in temporalibus Roma-

num Pontificem agnoscit *vid. Covar. 1. var. Resol. cap. 17.* cui accedit, quod Jura civilia circa Testamenti factionem expressè fuerint confirmata in Imperio *per ord. Maxim. de anno 1512, tit. von Testamenten/* ut hinc eò minus dubium sit, Jus canonicum hoc passu in Imperio universaliter non esse Receptum *Carpz. p. 3. const. 4. def. 40. n. 9.*

III.

De Jure canonico requiritur ergo *per cit. cap. cum esses,* ut præsens sit parochus, seu præbyter illius loci, non enim sufficit, qualemcunque Ecclesiæ ministrum, seu pastorem Testamento adhibeat Testator, sed debet esse pastor illius loci, ubi Testator domicilium habet, ita enim disponitur *in cit. cap. cum esses* ut paræciani testentur coram presbytero suo, sed quid si pastor vel præbyter ille non adsit? *3.* quod loco præbyteri absentis duos alios idoneos testes valide testari volens adhibere debeat, cum duo testes gerant vicem unius, quantæcunque etiam fuerit autoritatis, *cap. licet 23. cap. cum à nobis 28. x. de Testib.* si verò loco præbyteri tertius saltem testis foret adhibitus, hoc Testamentum subsistere non posset *Richt. decis. 28. n. 3.* deinde ut presbyterum duæ aliæ personæ idoneæ tanquam testes accedant, unde patet unum testem cum presbytero non sufficere, nisi forte ad pias causas fuerit dispositum *Richt. loc. cit. n. 4to.*

IV.

Cùm lex civilis Testamentorum Jura per se firma esse jubet & non ex alieno pendere arbitrio, ut de jure civili ultimum elogium non rectè in alienum conferatur arbitrium *l. 32. ff. de hered. inst. &* quamvis quidam hac in parte leges civiles à canonibus dissentire velint, ut de canonum Jure dispositionem Testamentariam in alterius arbitrium conferri posse autument fundantes se *in cap. cum Tibi 13. x. de Testam.* in quo dicitur, quod, qui extremam voluntatem suam alterius dispositioni committit, non videatur discedere intestatus & hoc ita favore piæ causæ receptum velint, minùs tamen rectè sentiunt, cùm hoc Textus non dicat, ut nec nos dicere debeamus, dicendum itaque, pontificem in isto textu non velle dicere, talem simpliciter testatum decessisse, sed

sed tantum ad exclusionem Episcopi, cui bonorum ab intestato administratio est comissa, ut patet *ex cap. cum Tibi x. de verb. signif. cujus dict. cap. 13:* est pars ut pote ab eodem pontifice Innocentio ad eundem Episcopum scriptum, qui proinde frustra arrogabit sibi dispositionem ut pote jam tertio aliquo mandatam per defunctum.

CAPUT IX.

De Testamento Tempore pestis condito.

THESIS I.

IN testamento tempore pestis, vel alterius morbi contagiosi condito, quamvis quidam septennarium testium numerum de stricto Jure civili non requirant & quinque sufficere contendunt *uti Clar. 3. sent. §. Testamentum qs. 56.* aliique, hac utentes ratione, *quod in l. 8. cod. de Testam.* aliquid propter metum contagionis relaxatum sit, æquissimam verò relaxationem dicunt, si duo testes remittantur de summi juris observantia, aliique etiam duos sufficere dicunt, præsertim in tempore, quo propter contagionem homines ut plurimum ex loco infecto aufugere solent, *Gail. lib. 2. obs. 118. n. 17. & 18.*

Attamen si cum utriusque sententiæ fautoribus ex cathedra contendere debeamus, certè & pestis tempore septennarium testium numerum adhiberi debere contendemus, cum jure communi nos destitutos videamus, & licet aliquid de jure relaxatum esse *in l. 8. dict. tit.* contendant, septennarius testium numerus tamen remissus non est, cum *cit. l. in fin.* sic loquatur, *non etiam conveniendi numeri eorum observatio sublata est* remittitur itaque *in cit. l.* tantum unitas conjunctionis, idque ob contagionis metum, ita ut numerus Testium septennarius stricto jure omninò adhibendus, cum, quod non est mutatum, quare stare prohibeatur.

II.

Hæc ita de jure communi, si verò universalem usum fori respicimus, permittit hic peste, aut alia contagione regnantè coram duobus

bus testibus testari, quam sententiam (præter practicos gravissimos omnes tamen de patriis suis loquentes *uti Christ. ad leges municip. Mechl. tit. 17. art. 1 n. 25. Gronov. de legibus abrog. ad cit. l. 8. n. 4to. Simon von Leuwen. in censu for. lib. 3. cap. 2. n. 12. Job. à Sande lib. 4. tit. 1. defin. 13. Mev. ad Jus. lub. p. 2. tit. 1. art. 2. n. 44. Carpz. p. 3. const. 4, defin. 4. Brun. ad dict. l. 8. n. sto.* etiam recepit ipsa Camera Imperialis teste *Gail. lib. 2. 118. n. 18. Myns. cent. 1. obs. 96.* notandum tamen, quod cum talis testandi modus coram duobus solummodo testibus consuetudine tantum introductus sit, & juri communi repugnet, illa consuetudo cum in facto sit in eo loco, ubi testatur introductam esse omnino probandum sit, aliàs insistendum Regulæ, quod non est correctum, quare stare prohibeatur: *Brunn. loc. cit. n. 4to;*

III.

In Testamento tempore pestis condito, cum tantum unitas conjunctionis, non verò numerus testium remissus sit, dubitarunt aliqui, an etiam pestis, aut alterius contagionis tempore necessitas conveniendi coram Testatore, ut nempe ipsum videant & audiant, remissa censeatur, quod quidem aliqui partim ex verbis *cit. l. 8. eo tempore jungiet sociari remissum est* partim verò ex *l. 9. eod. Tit. eruere* volunt;

Nobis tamen placet sententia eorum, qui tenent, quod quidem conjunctio testium sit remissa, non tantum ratione Testatoris, ne in eodem loco & conclavi cum ipso testatore esse teneantur, sed & ratione testium, qui simul ob metum contagionis convenire non tenentur, inde tamen non infertur, quod Testatorem nec videre, nec audire debeant, cum etiam in platea stantes Testatorem per fenestram videre & ejus mentem audire possint, si verò secundum aliquos in tali contagione permitteretur, ut schedula manu testatoris scripta & ad subscribendum testibus missa sufficeret, infinitis fraudibus ansa daretur, cum mortuo jam tum Testatore talis schedula offerri posset, cujus rei exemplum detectum videre est apud *Simon von Leuwen in cens. for. lib. 3. cap. 2. n. 12.* ubi testes videntes etiam Testatorem putati-
vum

vum pannis involutum notabiliter decepti sunt, quomodo ergo non deciperentur, si longè à Testatoribus remoti ipsos nec videntes, nec audientes testificari possent.

IV.

Testamentum pestis tempore conditum cum privilegiata ista observatione valet perpetuò, peste etiam cessante, quamdiu scilicet Testator in eadem voluntate perseverat. *Berlich. p. 3. concl. s. n. 32.* Extratione, quod ad solennitates in Testamentis inspiciatur tempus conditi testamenti *l. 1. cod. de Testam.* & ut Testamentum ab aliquo conditum valeat, sufficit, quod Testator tempore conditi testamenti ad testandum habilis fuerit & in hoc, ut inter cetera, testamentum tempore pestis conditum à testamento militari differt, nam hoc (*uti in cap. de milit. Testam.* diximus) post missionem intra annum tantum valet *Carpz. p. 3. const. 4. defm. s.* interim tamen & militis Testamentum ex iisdem rationibus ultra annum defendi posset, nisi hac lege scripta expressè in militis Testamento dispositum foret;

CAPUT X.

De Testamentis Rusticorum Ruri degentium.

THESIS I.

Rusticis quoque privilegium tribuit *Imp. just. in l. ult. cod. de testam.* ut si in loco testentur, in quo homines literati rarò inveniuntur, secundum consuetudinem ibi receptam testari possint, septem testibus adhibitis, vel, si tot haberi nequeant, saltem quinque, & si qui testes litterati sint, ut illiteratorum nomine subscribant, quod si verò in civitatibus & castris, ubi leges manifestæ sunt & litterarum viget scientia, testari velint, omnia, quæ in libris digestorum & codicis habentur, observare debebunt; ad pagum ergo respexit
Imp.

Imp. & non ad quemvis locum ubi Rusticus condit Testamentum, nec solum modo ad conditionem Rusticitatis & simplicitatis, uti clarè patet *ex ord. Not. Maxim. Imp. de anno 1512*. his verbis concepta item **und auff dem Gau** (puta pago) **wohe Bauers Leute Testa- ment macheten und mehr Zeugen nicht zu bekommen/werden auff's wenigste 5. Zeugen ic.**

I I.

Ex præmissis patet, quod privilegium non solum Rusticis ut Rusticis & ut sic eorum personæ, sed simul Rusticis, ut in loco Testibus sufficientibus destituto commorantibus concessum sit *Brun. in comm. cod. ad dict. l. ult. n. 6to* quare hoc privilegium loco & personæ conjunctim & copulativè concessum erit, ideo nec Rusticus in civitate nec civis in pago privilegiato modo testari poterit, nisi, ut ait *Brun. loc. cit.* civis, cum ruri ageret, ibidem in morbum incideret & ibi testari velit, quod tamen moderandum, si civis quandoque longo tempore ruri commorari soleat, aliàs verum manebit, quod, quia non est Rusticus, nec ruri habitat, secundum Jus commune testari debeat;

I I I.

Ex Rusticitatis & simplicitatis cum defectu Testium copulativo requisito oritur quæstio in foris multum intricata, quid sentiendum sit de nobilibus ruri **auff ihren Burg-Häuseren** commorantibus, utrum & illi privilegiato modo testari possint? R. licet enim rusticus à nobili plurimum distet, hæc autem constitutio propriè ad Rusticos propter communem eorum simplicitatem pertineat, non etiam ad quoscunque ruri habitantes, qui imperitiam & simplicitatem prætere non possunt, æquum tamen nobis videtur, quod hoc in passu nobiles ruri habitantes hoc privilegio gaudere possint & debeant, & ut prædicta duo copulativa requisita adsint, nobiles appellatione Rusticorum (quod nobilium veniã dictum esse volo) largo modo comprehendantur, quod certè omni dubio caret, si nobilis simul Idiota & contemptor litterarum sit, pro ut in patriis vicinis

nis hodie dum multi reperiuntur, qui deploratè stupidi sunt und daß Studiren für Schul-Poffen ausschreyen / quo casu nemo negabit, simplicitatem seu potius stupiditatem cum testium defectu concurrere;

IV.

Procul dubio ergo prædicta non procedunt in Testamentis etiam ruri factis. ubi Testium copia haberi potest, multò minus in suburbiis civitati contiguas, licet aliàs in plerisque eadem constitui soleat prædiorum suburbanorum & Rusticorum ratio *Carpz. p. 3. const. 4. def. 30. n. 5. & 6.* cum ob contiguitatem civitatis Testium defectum, ad quem Imp. Just. maximè reflexit, non possit allegare suburbanus, quod quidem Rusticus ruri degens facere potest, ideoque quod Rustico ex hac causa concessum non poterit ad suburbanos extendi, posset tamen quandoque contingere casus, quo suburbanus de nocte portis civitatis clausis testari volens testes in suburbiis sufficientes reperire non posset, quo casu jure rusticorum gaudebit & coram pauciori numero Testium testari poterit, ad Cavillationes tamen hoc casu evitandas utile valde est, ut notarius vel alius Testamentum scribens disertis verbis exprimat, quod plures testes omni adhibita diligentia reperiri non potuerit, quo neglecto Testium defectus uti fundamentum intentionis ab hæredibus probari debet;

CAPUT XI.

De Jure codicillorum.

THESIS I.

PRÆter Testamentorum Jura, quæ communiter inventa sunt, ut hæredes ab intestato à sperato successionis commodo excludere possimus, alius adhuc in legibus introductus est modus ultimum elogium perficiendi, quo solummodo res singulares quasdam Titu-

lo etiam singulari in illos, quibus bene volumus, transferre possumus, & sunt codicilli à codice sic dicti à Jcto Trebatio ad consultationem *Aug. Imp. in princ. inst. eod.* propter necessitatem & infinitam utilitatem per eos in cives redundantem maximè recommendati, possuntque describi, quod sint ultima quædam voluntas imperfecta, seu minùs solennis coram quinque Testibus facta, in qua sine directa hæredis institutione, quod post mortem fieri volumus, disponimus, *l. fin. cod. hoc tit. & §. fin. instit. eod.*

II.

Fiunt autem codicilli modis quatuor: vel in scriptis, vel sine scriptis *l. ult. §. fin. cod. de codic.* in verbis: *sive in scriptis sive sine scriptis voluntas conficiatur* vel ad Testamentum, vel sine Testamento, qui verò ad Testamentum fiunt, subdividuntur: aut enim fiunt ante Testamentum, *l. 5. ff. de jur. cod.* aut post Testamentum *§. 1. inst. eod.* aut in ipso Testamento, aut cum Testamento inseritur Clausula codicillaris, *si non valet jure Testamenti, valeat jure codicillorum &c. l. fin. §. 1. cod. de codicil.* codicilli, qui fiunt sine Testamento v. g. *quisquis mihi hæres erit bonorumque possessor ejus fidei committo &c.* locum faciunt hæredibus ab intestato, eosque obligant ad explendam defuncti voluntatem, si verò ad Testamentum fiunt, ejus Jus sequuntur *l. ab intestato in fin. ff. h. tit.* & eo rupto quoque rumpuntur, nisi post Testamentum facti sint, quia tunc per se valebunt, nec ad Testamentum utpote ruptum pertinebunt *l. 1. vers. sed cum post ruptum cod. de codic.* idem est, si Testamentum statim ab initio nullum fuit, tunc enim ejus, quod nullitate laborat, accessorium dici nequeunt;

III.

Efficiens causa remota codicillorum exprimitur *in princ. inst. hoc tit.* propinqua sunt omnes habentes potestatem testamenta condendi, cum hi & codicillos facere possunt *l. 6. §. codicillos 3. ff. de jur. cod.* impulsiva causa sunt necessitas & consilium Jcti Trebatii *§. 1. inst. hoc tit.* subjectum persona hæredis fideicommissaria, objectum est hæreditas legata & fideicommissa, forma est imperfecta voluntas
re-

respectu solennitatis, quæ in testamento requiritur, ad quam requiruntur (1.) Jus codicillandi (2.) testes quinque *l. fin. cod. hoc tit.* nec refert, an specialiter ad hoc sint convocati an verò casu (moniti tamen & certificati de illo actu, quem codicillans gesturus est, & cujus gratiâ ad Testimonium adhibentur) advenerint, item sive masculi live fæminæ *argumento l. 20. §. mulier ff. qui testam. fac. post.* de quo ultimo tamen à pluribus dubitatur, si nempe omnes quinque testes fæminæ sint (3.) unus idemque actus omnibus testibus simul adhibitis *l. fin. §. fin. cod. h. t.* (4.) subscriptio testium, si codicilli facti fuerint in scriptis, etiam sine sigillorum appositione *l. fin. cod. de codic. ibidemque Jason. n. 10.*

IV.

Si solennitas testium ex dispositione statuti vel consuetudine diminuta sit in testamento; non per hoc in codicillis minor numerus pro eadem portione, id est si v. g. per statutum numerus septem testium in testamento sit reductus ad quinque, non sufficient in codicillis tres testes, licet totidem sufficient.

Sed quid si major numerus testium requiratur, uti in Testamento cæci, de quo *in l. hac consultissima cod. qui test. fac. poss.* nunquid etiam in codicillis major numerus testium similiter requiratur? primo quidem intuitu videri posset, quod eadem solennitates, quæ in testamento cæci præscriptæ sunt, etiam in ejusdem codicillis observandæ sint, adeoque cæcus codicillari volens non quinque, sed octo aut septem testes cum Tabellione adhibere debeat cum *cit. l. 8.* secundum communem practitorum sententiam eundem numerum testium in codicillis, quem in testamento cæci requirit *Barrii de success. lib. 1. tit. 6. n. 2. Carpz. p. 3. const. 6. defn. 5.* dum in *cit. l. 8.* expressè dicitur *ibid. quæ in eundem modum erunt observanda, quamvis non haeredes instituire, sed legata solùm vel fideicommissa & in summa quæ in codicillis habentur congrua duxerint ordinanda cui congruit ord. not. Maxim. Imp. de anno 1512. verl.* Es ist auch nicht allein in einem Testament eines Blinden/sonderen auch in seinen Codicillen und andern seinen letzten Willen solche Form zu halten &c.

Quibus tamen nequid quam obstantibus, in theoria verior est

sententia contraria, si nimirum dicamus, quod imò secundum verba legis omnia in eundem modum quoad codicillos cæci sint observanda, ita scilicet, ut verba legis secundum substratam materiam sint intelligenda, nempe, ut sicut in testamento cæci ultra numerum septennarium testium octavus seu Tabellio adhibendus est, ita etiam in ejusdem codicillis ultra quinquennarium testium numerum sextus seu tabellio adhibendus sit, propter absurda ex sententia priori sequentia, si nempe Imp. majorem solennitatem inducere voluisset in codicillis cæci, ubi tractatur de minori præjudicio, quàm in testamento, siquidem in testamento cæci quantum ad testes ultra jus commune non addit nisi quod unus testis, vel Notarius superaddatur, sed si idem requireretur, in Codicillis, majorem solennitatem induxisset, cum in codicillis, solum quinque requirantur, adeoque tres adderentur testes in Codicillis & in Testamento tantum unus, deinde, si verba legis 8. *vers. in eundem modum erunt observanda* ita strictè forent explicanda, necessariò sequi deberet, quod cæcus etiam in suo Codicillo nominatim & cum expressione dignitatis hæredem instituere debeat, cum hoc in testamento facere debeat & nulla esset differentia in forma testamenti cæci & ejusdem codicilli, quare concludo, quod per *dict. leg. 8.* non augeatur numerus testium in codicillis, sed solum insinuetur, quod, sicut in Testamento cæci ultra septem testes additur notarius, seu octavus, ita & in ejus codicillis ultra quinque testes similiter addi debeat tabellio seu testis sextus.

V.

In Testamento condendo necessarium est, ut testes Testatorem videant & audiant, hinc quærent Ddres, an id ipsum etiam requiratur in codicillis, an verò sufficiat, si codicillantem audiant saltem & intelligant, licet cum propter intermediam Cortinam, vel parietem non videant? R. licet enim legum interpretes hac in parte in diversas abeant sententias, asserentes & tunc codicillos subsistere, licet inter Codicillantem & testes cortina, vel paries inter-

me-

medius fuerit *Barrii de succes. lib. 1. tit. 1. n. 4. circa fin.* adeo ut hæc sententia à *pifone. var. resol. lib. 3. n. 3.* pro communi & nullum contradictorem nisi *Dec. in con. 354.* habente reputetur.

Præplacet nobis tamen sententia *Carpz. p. 3. const. 4. defin. 35.* contraria, quod nempe pro forma ac solennitate externa Codicillorum requiratur, ut testes codicillantem videant, & licet intuitu Codicillorum non adsit specialis legum dispositio, eadem tamen, quæ in Testamentis, etiam in codicillis subest ratio & falsitatis exclusio, ergo & eadem quoad Codicillos suberit juris dispositio, ne eadem facilitate, qua in testamentis, etiam in codicillis testes decipiantur, si non in præsentia codicillantis constituti essent, ideo si codicilli noctu conficiendi, luminaria eo numero adhibeantur, ut testes distinctè codicillantem cognoscere possint, quale enim aliàs impedimentum *Cortina*, seu paries ponit, hoc idem quoque ex tenebris, nocturnis metuendum est, non aliter etiam sentimus quoad mortis causa donationes;

VI.

Ex quibus patet, in codicillis non posse disponi directè hæreditate, nec substitutionem, nec exhæredationem, nec adjectionem conditionis, neque ejus detractionem & similia fieri posse, per consequens nec legitima sive parentibus, sive liberis relinqui possit, & si forte legitima in Testamento legati titulo relicta esset, & pater deinde vel filius declaraverit in Codicillis, se eam Titulo institutionis relinquere, utrumque vitiosum erit & legatum in Testamento, & institutio in codicillis facta, quia, quoad testamenta illa legitima præcisè titulo institutionis relinqui debuisset, in codicillis verò Titulo institutionis ex prohibitione juris relinqui non potuit ergo, ratio autem, quare Codicillis directè hæreditas neque dari, neque adimi potest, est, quia cum in hæredis institutione vel ejus ademptione tota vis & substantia Testamenti consistat, si jam per codicillum posset aliquis hæres institui, vel, adimi hæreditas, confunderentur Jura Testamen-

mentorū & codicillorū, nam eandem vim & potestatem haberet Codicillus quam habet Testamentum, quod quidem fatendum non est, cum codicillus dependeat ab ipso Testamento & ab eo robur accipiat, proinde, ne sequatur hoc absurdum & inconveniens, factum est, ut ne omnia, quæ licent in Testamentis, liceant quoque in codicillis, aliàs codicillus non improprie Testamentum diceretur, sed proprie Testamentum esset, & sic codicilli nomen amitteret, *l. si idem cod. de codicil.* ut igitur verè codicillus dicatur, solum continere debet, quæ in testamento omiſsa sunt; declarare, quæ dubia possent esse, vel aliqua adjicere, non autem in totum evertere Testamentum;

VII.

Si Testator hæreditatem in codicillis de facto reliquerit, vel directè substituerit, licet non valeat jure directo, tamen valebit jure fideicommissi, dum modo evidenter constet testatorem noluisse facere Testamentum, sed tantum codicillos & intervenerint solennitates, quæ in codicillis requiruntur, ita ut venientes ab in testato censeantur rogati, hæreditatem restituere hæredi ita scripto, *text. in l. scævola ff. ad Scum. Trebell. Zoes. ad tit. de codicil. n. 7. Richt. p. 1. decis. 64. Covar. ad cap. Raynutius. §. 5. n. 2. de Testam. Mant. de conj. ult. Vol. lib. 6. tit. 4. n. 14.* sed si constet, quod Testator voluerit testari, pro ut in dubio præsumitur, quoties institutionis verbo utitur, *l. non codicillum cod. de Testam.* & non adhibuerit solennitates ordinarias & necessarias ad testamentum, sed tantum ad Codicillos hoc casu talis dispositio nec etiam in vim codicillorum valet propter defectum voluntatis, nam cum voluerit facere Testamentum ut Testamentum, non potest valere, quia Jure perfectum non est, non potest etiam valere ut codicillus, quia Testator codicillos facere noluit, & regula juris est, quod si non valet, quod ago, ut ago, nec etiam valet, ut valere potest. *l. 1. ff. de Jur. codicil.* intellige nisi in Testamento adsit clausula Codicillaris.

VIII.

Codicillus codicillo in dubio non derogat, sed uterque simul subsistit

fiſſit ſi diverſo Tempore conditi ſint §. ult. inſt. de codicil. l. 5. & 6. ff. de jur. cod. quia in codicillis de parte bonorum rebusque ſingularibus tantum agitur, ideoque plures eſſe poſſunt, cum ſint veluti diverſa & particularia ſeparataque legata, quod ſecus eſt in Teſtamentis, ubi plena diſpoſitio bonorum abſolutaque totius patrimonii ordinatio continetur, ſi autem duo reperiantur codicilli, nec apparet, quis ſit prior vel poſterior, in quorum uno alicui certa res legetur, in altero verò adimatur contra *gloſſ. in l. 3. cod. de codic.* tenemus, quod ille ſolus valeat, in quo ademptio facta quia cenſetur ultimus, per quem facta eſt ademptio, cum in dubio privatio præſupponat habitum, ſed quid ſi duo codicilli eodem die facti reperiantur, & in uno res legetur titio, & in altero Cornelio, nunquid videatur facta ademptio? R. quod non, ſed ambo concurrunt & admittuntur ſimul ad legatum, quod communiter DDribus placuit *per dict. gloſſ. l. 3. cod. de codicil.*

IX.

De Clauſula codicillari ſi non valet Jure Teſtamenti valeat Jure codicillorum multa quidem hic dicenda eſſent, cum in omnium Notariorum ore frequentiffima eſt, ſed amore brevitaris una quæſtione materiam, abſcindo, nempe utrum clauſula codicillaris non expreſſa poſſit comprehendere ſeu intelligi ſub nota ſeu dictione & cætera quam notarii plerumque & nimis frequenter ad abbreviandas ſcripturas adhibent, propter quod sæpè ſubſtantialia omittunt ac hominum negotia ac ſubſtantias involvunt, ita ut *Ruin. in l. Gallus §. 2. col. 2. ff. de lib. & poſth. dixerit*, quod tria ſint, quæ deſtruant mundum, nempe *Recipe imperitorum medicorum, item mercatorum & cætera notariorum* adde & *cavillationes advocatorum*? R. quod ob favorabilem explicationem, quæ pro ejuſmodi Teſtamenti & clauſulis militat prædicta dictio & cætera omnino vim clauſulæ codicillaris habeat, cum clauſula codicillaris hac ratione non ſit omiſſa, ſed compendii cauſâ, ſaltem ſub illa particula incluſa, ſi modo id orationi & principali Clauſulæ conveniat, ut puta, ſi ita ſcriptum ſit & hanc dixit eſſe ſuam

voluntatem & cetera quam valere voluit & cetera tunc enim extendi & compleri potest, scilicet Jure Testamenti & si dicto jure non valet, valeat Jure codicillorum, & maximè, quando notarius sub tali imbrevisatura solitus est apponere clausulam codicillarem, hæc procedunt, secus tamen est: si dictionem *& cetera* præcederent aliæ Clausulæ vel sermones alia diversa continentes, quàm clausulam codicillarem, nam tunc non comprehenderetur sub dictione *& cetera* clausula Codicillaris;

CAPUT XII.

De mortis causa donationibus.

THESIS I.

DONATIO mortis causa est illa, quæ fit coram quinque Testibus occasione mortis futuræ, vel instantis periculi, cujus effectus conferitur in tempus mortis, ut quando quis donat rem vel pecuniam alteri post mortem, & sic cum quis magis se velit habere, quàm eum, cui donat, magisque eum, cui donat, quàm hæredem suum ab intestato *l. 1. ff. de donat. caus. mort. §. 1. inst. de donat.* inter quos quinque testes etiam notarius, si quis fortè adhibitus, connumeratur *argumento l. domitius 27. ff. qui Testam. fac. poss.* nec opus est, ut testes sint rogati, sed sufficit, si casu advenerint fortuito, & quamvis mulieres quis adhibuerit, earum tamen Testimonium validum est, modo testes donatorem videant & audiant *Carpz. p. 3. const. 3. defn. 30.*

I I.

In dubio, quando in donatione in ipsis verbis dispositivis facta est mentio mortis, per modum causæ finalis censetur donatio mortis causâ, si verò verba dispositionis purè concipiantur & mentio mortis facta esset solummodo in verbis executivis denotantibus dilationem & Terminum solutionis v. g. donotibi fundum, vel ædes meas, sed non habebis eas, nisi post mortem meam vel retento mihi usufructu, in
iis

iis pro vita mea & usque ad mortem, tunc magis donatio inter vivos censebitur, licet mortis mentio in ea facta sit, simili modo pro donatione inter vivos præsumitur, quando in donatione facta esset mentio hæredum donatarii, ut puta, quia facta sit alicui & ejus hæredibus, tunc enim hæredis mentio facit, ut donatio, in qua mortis mentio facta est, intelligatur inter vivos, quia mortis causâ donatio ad hæredes non transit;

III.

Constituunt communiter Ddres regulam, quod omnis ille, qui Testamentum condere potest, etiam mortis causâ donare possit, quæ regula affirmativè posita rectè procedit, ast verò negativè non valet illatio, quod, cui testamentum facere non permittitur, ille nec mortis causâ donare queat, scilicet filius familias intuitu peculii profectitii & adventitii etiam extraordinarii testamentum condere non potest, licet patris consensus accedat, quia testamenti factio non est juris privati, sed publici, ast verò mortis causâ donat filius familiâs & quidem de profectitio & adventitio, consentiente patre *l. 25. ff. hoc tit. l. 7. §. 4to. ff. de donat.* qui tamen consensus expressus & ad hanc donationem specialiter directus esse debet *Zepper. de cod. l. 5. n. 25.* non tamen pro solennitate requiritur consensus paternus, sed tantum pro ratione ususfructûs, quem habet pater in peculio adventitio, quod si ergo patris interesse non subsit, valet donatio hæc, etiam sine ejus consensu.

IV.

Filius familiâs, qui, ut dictum, non potest testari neque etiam de consensu patris, sed si in Testamento aliquid relinquat alteri, interveniente patris consensu & in ipso testamento posuerit Clausulam codicillarem vel donationis causâ mortis v. g. *si hoc testamentum meum non valeat Jure Testamenti, valeat jure codicillorum vel donationis mortis causâ, vel omni meliori modo, quo valere de jure potest, tale relictum in vim donationis mortis causâ valebit, modo ille, cui*

E

quid

quid relinquatur, sit præsens vel per se, vel per nuntium, aut Epistolam, vel per alium pro se donationem recipientem, etiam si præsens expressè eam voluntatem non acceptet, nam præsencia donatarii cum taciturnitate inducit consensum, & consequenter ejusmodi donatio omnibus modis erit absoluta, quod si tamen filius familias pietate ductus ad piam causam tali modo quidquam reliquerit, nihil obstabit, quod Ecclesiæ vel piæ causæ acceptatio deficiat, quia præterquam quod talis actus in vim voti valere possit, talis donatio à Deo (sub cuius præsidio hanc nostram dissertationem finimus) in favorem piæ causæ acceptari dicitur.

L. D. S.



COROL-



COROLLARIA.

Seu assertiones magis controversæ.

I.

Filius adulterinus & ex prohibita conjunctione per leges humanas procreatus, non obstante quod tempore concubitus, intermedio aut partus editi adfuerit impedimentum nuptiarum, per subsequens matrimonium legitimatur.

II.

Laicus in bono empto ab Ecclesiastico, cui annexum est jus patronatus & jus decimandi in priori succedit, in posteriori non item.

III.

Onus decimarum non exsolutarum transit ad successorem singularem.

IV.

Reservationes per bullas post concordata Germaniæ emanatas non præjudicant locorum ordinariis.

V.

Remedia restitutionum in integrum *ex l. 2. cod. de resc. vendit. ex l. 33. ff. de rejudicat. & ex l. 31. ff. de jurej.* non quadriennio sed tantum 30. annis circum scribuntur.

VI.

Pater nobilis habens jurisdictionem criminalem potest supplicium sumere de uxore & liberis in districtu judicii sui delinquentibus.

VII.

Moribus hodiernis partus medio sexti mensis & in fine undecimi editus pro legitimo reputatur.

VIII.

Si status Imperii in comitiis congregati in votis concordantes sint, Imperator vero iusta ratione consentire nolit, nihil actum erit &c.

IX.

Parentes liberis unitis promiscuè non succedunt, nec uniti inter se, nec pater vitricus potestatem patriam in unitos consequitur.

X.

Non obstante quod actus unionis prolium sit jurisdictionis voluntariæ, tamen debet coram solo ordinario iudice expediri.

E 2

XI. Pro-

XI.

Promissio in vim Juramenti *abn Andtsstätt* non æquipollet Juramento in actibus in quibus corporale Juramentum exigitur, nec contravenientem in foro externo reddit perjurum.

XII.

Judex in Causa criminali in condemnando non debet secundum allegata & probata, sed secundum propriam conscientiam & scientiam judicare, præsertim si ex condemnatione mors naturalis imminere potest.

XIII.

Renunciatio materna etiam jurata non nocet liberis, si renuncians moriatur ante avum cujus hæreditati renunciatum est, licet sint hæredes matris.

XIV.

In dubio verba à testatore prolata non secundum consuetudinem loci ubi testatur, sed secundum consuetudinem loquendi in isto loco ubi Testator commoratur, interpretanda sunt ideo si v. g. civis Colonienfis in nundinis Francofurtensibus testetur & simpliciter legati Titulo alicui relinqueret 100. florenos, legatarius non florenos Francofurtenses, sed tantum Colonienfes (quorum duo incirca faciunt tantum unum florenum Francofurtensem) prætere tendere posset & econtra.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

| Blue | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
|------------|------------|-------------|--------------|-----------|---------------|-------|------------|------------|
| Light Blue | Light Cyan | Light Green | Light Yellow | Light Red | Light Magenta | White | Light Skin | Light Gray |
| Dark Blue | Dark Cyan | Dark Green | Dark Yellow | Dark Red | Dark Magenta | White | Dark Skin | Dark Gray |

TIFFEN Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

| A | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | M | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | B | 17 | 18 | 19 |
|---|-----|-------|------|---|---|---|-------|---|---|----|-------|----|----|------|--------|---|---------|----|----|
| | Red | Green | Blue | | | | White | | | | Black | | | Cyan | Yellow | | Magenta | | |